

111

J. N. J.

E 3 num. 6
1704, 5

23

THEMA PHILOSOPHICUM

De

JURE PRINCIPIIS CIRCA SACRA,

Quod,

Adspirante Divini Numinis Aurâ,

&

Permittente Amplissimo Philosophorum Ordine

In Alma Gryphica,

Sub PRÆSIDIO

Viri Præcellentissimi ac Præclarissimi,



N. M. AUGUST. STÆGEMANNI,

Fautoris ac Præceptoris sui debito honoris cultu
observandi,

Ad Diem Martii M DCC IV.

Sub publicum placidumque Philosophantium
Examen revocandum proponit

AUCTOR

CHRISTOPHORUS LEMMIUS,

Sundæ - Pomeranus.

Chop:

GRYPHISWALDIAE,

Typis GEORG. HENR. ADOLPHI, Acad. Reg. Typogr.

THEMA PHILOSOPHICUM
URÆPRINCIPIS
CIRCA SACRA

Aqbisitum Diuinæ Naturaæ Atq[ue] ^{G[loria]}

Aqbisitum Philosophicorum Oratione

Ex M[atth]e[us] C[oncordia] G[loria]

Sup Præfatione

W. AUGUSTUS STEPHANI

Expositio de Prophœtis in quodam ponente ex illis

In die 25. Martii DCC XI

Sup prophetiam apocryphon Philosophicorum

Expositio de Prophœtis in quodam ponente ex illis

V[erbi]CITOR

CHRISTOPHERUS LIMMUS

Expositio de Prophœtis in quodam ponente ex illis

V[erbi]CITOR



בָּשָׁר

PROOEMIUM.



Tyrum Phoenicia metropolim urbiumq; Reginam in
moneta, quam in Macrini honorem eudi cura-
vit, palmam dulcissimis fructibus abundantem,
clavam Herculis & concham purpure exhibi-
buisse Francis. Mediobarbus in Numism.
Imperat. Roman. p. 308. commemorat; illa
terre fertilitatem, ista religionis curam, quippe Herculem cù
DEUM tutelarem adorabat, hac vero singulare beneficium, quo
præ ceteris gentibus fruebatur, indigitantem, (conchas e-
nim istas solus adversus Tyrum situs Oceanus evomebat.) Egregi-
um sane bene instituta Reip. exemplar! Evidem non instituti
nostrri ratio est, licet opera pretium foret, hanc Tyria felicitatis
iacam dignis elogis ornare; sed hoc Nobis tantum admiratio-
nem movet, quod à tam barbara gente in tanto religio Deorumq;
cultus pretio sit habitus, ut inter firma quoq; florantis Reip. fun-
damenta eam posuerit. Enimvero ea est religionis ratio, ut Reip.
corpus religatum sustinet, labascens suffulciat, cives in officio
retineat, efferas atq; indomitae mentes coercent, justitiam tue-
atur ac conservet; imo (ut paucis plura comprehendam) Religio
& lex oculi sunt Reip. uti Martialis ille Britannicus Owenus
eas inscribit Lib. III. Epigr. 196.

LEX & RELIGIO junixerunt fœdera; pravas
Hæc hominum mentes comprimit, illa manus.

Si verò Princeps Reip. semper salutem ac civilem subditorum felicitatem, in omni regimine procurare tenetur, quis negabit, quod eidem incumbat summam adhibere curam, ut fundamentum hōce Reip., quod est religio, bene ponatur, perq; bonas leges sanctum atq; inviolatum conservetur. Ut vero hoc paulo plenius evictum demus, tum suauis Preccellentissimi Dn. Pr̄esidis nostri, tum sponte nostra De Jure Principis circa Sacra, Exercitii Academicī loco breves imò brevissimas lineas duere animo sedet: Et ita quidem nos gesturi sumus, ut primum & quidem potissimum, quod vere illud Principi competit, declaremus; deinde ejus definitionem ac divisionem paucisimis expediamus. Quam arduum verò sit, quod molimur, B.L., ipsem judicabis, nostramq; in differendo tenuitatem ex materia gravitate excusabis. Interea rudimentis nostris, qua placide eruditorum censurę exponimus, favebis, DEum nobiscum supplex veneraturis, ut ille hunc laborem ex alto dirigat, fanoq; futura cœpta nostra successu secundet!

§. I.

Prima sit nostri de Jure Principis circa Sacra differendi bono cum DEO primordia capientium cura, ut terminos, qui in inscriptione Dissertationulae nostrae occurront, ab equivocatione liberemus atq; ita explicemus, ut cuiusvis intellectui primo intuitu reddantur obvii, nec ambiguitatem in animis legentium pariant. Etenim

Errorum genitrix est equivocatio semper.

§. II. Itaque in frontispicio statim offendimus voculam *Juris*, quæ valde ambigua est. Nimirum sumitur vel pro *lege*, & sic dispescimus in *Jus Naturale*, *Gentium & Civile*, vel pro *complexu seu systemate legum homogenearum*, vel pro *Jurisprudentia*, vel pro *sententia à Judice pronunciata*. Hoc loco autem notat *qualitatem aliquam moralem*, quā reſlē vel personis imperamus, vel res tenemus aut cuius vi aliquid nobis deberet; Habetq; pro *Synonymo* vocabulum facultatis ac potestatis; quamvis tamen

tamen paululum discriminis intercedat, quod vid. ap. Pufend.

Lib. I. de Jure Nat. & Gent. C. 1. §. 20.

§. III. Principis vocabulum æque στολύσημον est: Si veterum significatio attenditur, notat nihil Monarchicum vel Regium, sed in libera Rep. eminentiam & excellentiam virtutis, meritorum, dignitatis & opulentiae, ut sit Princeps quasi primus, principalis, præcipuus. Si hodierna vulgaris notatio admittitur, sumitur pro filio Regis aut Imperatoris, qui quasi Candidatus est futuri Imperii, Tacit. Annal. L. 1. c. 3. Tandem sumitur pro summo Imperante, quippe quam acceptionem primis Imperatoribus debemus, puta Cæsari & Augusto, qui, licet purpuram folium & sceptrum cum omnibus axiomatisbus in se transtulissent nemine adversante, tamen ad amolendam invidiam & persuadendam populo libertatis imaginem, Principis uti titulo non renuebant; Et sic non tantum moderni adhuc dum Imperatores, sed omnes etiam imperantes manifestatim habentes sibi vindicant. Huncq; significatum nostrum facimus: intelligimus enim eum, qui principem in sua qualicunque Rep. locum imperiiq; summam tenet, sive sit Imperator ac Rex in Monarchia sive Optimates in Aristocratia sive populus in Democratia.

§. IV. Sacra spectamus vel *ut interna*, circa quæ versantur ministri Ecclesie, quum ad illa pertineat Administratio sacramentorum, Prædicatio verbi, Clavis ligans & solvens &c. vel *ut externa*, quæ consistunt (1) in Potestate legislatoria, (2) Ecclesiastica Jurisdictione, & (3) Jure advocatiæ, de quibus infra. Et hanc Principi adjudicamus.

§. V. Vindicatis h. m. terminis ab homonymia de Synonymia parum sumus solliciti. Sive enim per Imperium Principis circa Sacra cum Becm. Med. Polit. & Parall. Polit. C. XVII. Sive per potestatem Magistratus Ecclesiasticam cum Theologis variis, sive per potestatem Ecclesiasticam Jurisdictionis exterioris cum Pontificiis, (cui potestatem ordinis & Jurisdictionis interioris contradistinguunt) Vid. Meissnerus Phil. Sobr. Part. III. Sect. II. Cap. 2. Qu. 1. sive per Jus Patronatus, & quidem Regium, (ut distinguitur ab illo communi & vulgari, quod etiam sub-

ditis & privatis competit) cum Finckelthaus de Jure Patron. Lib. III. Cap. I. sive per potestatem Imperantium Architectonicam quis enuntiet, perinde erit, & in cuiusvis arbitrio positum.

§. VI. Hisce itaque ut solet fieri brevissime præmissis, id nobis agendum esse putamus, ut de firmis nobis rationibus prospiciamus, quibus Principi hoc jus verè competere probemus, nec amplius cuidam de hocce dubitandi materiam relinquamus. Argumentantes igitur pro stabilienda nostra sententiae veritate ceu primum principium supponimus, quod Principis sit subditorum suorum opiniones dijudicare. Primam enim curam ejus esse debere, ut pacem publicam promoveat atq; conservet, nemo negat. Hanc verò dissentientes variaeque subditorum opiniones haud leviter perturbant. Namq; hæ per sermones, qui characteres animi sunt, in lucem prolate, rixæ odii & dissidiorum cause existunt, ut quoq; verisimile Ex verbis, quæ certè levissima res est, odia gravissima & inimicitias sœpè nasci dixerit *Plato Lib. XI. de Legg.* Hujusmodi, dissensionem ex nullo alio fonte, quam diversis opinionibus orientes licet Princeps impedire non possit, ut oriantur, quum conscientiis dominari nequeat, tamen si bene Reip. consulere cupit, easdem conciliare idq; efficere potest ac debet per summum puta imperium, ne pacem publicam interturbent *Vid. Pufend. de J. N. & G. Lib. VII. Cap. IV. §. 8.* Hinc autem nobis descendere & ex hoc ipso principio Jus Principis circa Sacra deducere licebit. Religio enim debet esse verus de DEO sensus & rectus in DEUM cultus, ut *Lipsius vult Lib. I. Polit.* Qui vult DEUM recte colere, debet prius etiam recte de DEO sentire nec potest cultum quisquam aliquo modo componere, nisi ipsi constat, in quodnam objectum eundem dirigere debeat. Jam vero, licet notitia DEI naturalis hominum cordibus sit inscripta, adeoq; rectum de DEO sensum eos habere necessarium sit, negari tamen non potest varias & contrarias in animis hominum de DEO sententias suboriri, (cumprimis de iis, quæ ad Theognosiam revelatam spectant) hominesq; opiniones defendere valde erroneas verumq; DEI cultum planè depravantes, quibus pueri à parentibus assuefacti sunt. *Quidni ergo*

ergo & has diversas sententias non minimum tranquillitatem publicam perturbantes summo in Rep. Imperanti dijudicare liceret; quin immo oportet eum, quum una sit religio unusq; DEI cultus in sacris literis præscriptus, qui ex frequenti legis evolutione notissimus illi esse debet, ad Ejus normam unice, quas fovent subditi, opiniones conciliare. Doctoresq; consti-tuere, qui populum saluberrimis doctrinis erudiant, ad suppri-mendum eas, quæ ex erroneis opinionibus oriuntur differen-tiones. *Vid. Pufend. loc. cit.*

§. VII. Porro pro veritate asserti nostri contendentes finem Principis ultimum & primarium consideramus, qui est salus Reip. populiq; ἐνδαινεοντα i. e. vera beatitudo. Hunc enim in finem populus ejus se imperio submittit, & qui hunc finem in imperando obtinere non allaborat, non potest bene impe-re, sed potius hostis Reip. dici meretur. Siquidem populi salus, quod Canonis loco, Politici esserunt, suprema lex esto. Eaque propter optimè Plato ille Divinus *de Rep. Lib. 1.* *Nemo in aliquo Principatu imperans, quatenus Princeps est, quod sibi conserat, cogitat aut præcipit, sed quod subiecto conducat & que dicit quæq; facit, cuncta ad illius utilitatem decorumq; dicit & facit. Et Socrates apud Xenophonem *Lib. 1.* Nonne mirum Tibi esse videtur, si quis diu bubulcus pauciores ac peiores faciat boves, deinde non malus fateatur esse pastor. Hoc multo mirabilius est, si quis cum civitati prestat argu pauciores & peiores faciat cives, deinde non embicat, nec se putet malum esse civitatis gubernatorem. Quid verò magis salutem civium procurat quam religio, quæ omnis civilis est felicitatis genitrix, & Cicerone teste *Lib. de natura Deorum: Humana societatis fundamen-tum,* Basis bene instruendæ Reip. id quod decreto suo *Sy-nesis* satis luculenter declarat in *Orat. de Regno:* Εὐσέβεια δὲ τὸ σῶ-τον, inquit, ὑποθεθλήθω κεχρις ἀσφαλής, ἐφ ἣς ἐπίζει τὸ ἄγαλμα εὑπέρον τῆς Βασιλείας. Quod ita vertunt Interpretes: *Pietas pri-mum subternitor fulcrum & crepido, cui firmiter insitiat hoc regni simulacrum.* Hæc concordiam & pacem inter cives Reip. conservat, & quasi unū nexus ac vinculo eorundem animos colligat, nihilq; Reip. magis interest, quam si subditos habeat pietatis amantissimos. Unde & *Aristoteles* inter ea, τὸν ἀνευ τούτου*

in eis primo loco τὴν περὶ τὸν Θεόν εἰπούσεις ponit Lib. VII. Polit. Cap. VIII. & Plato Lib. II. de Rep. praeipua monet curam in Rep. esse fuscipiendam de religione, quam Lib IV. de Rep. Magistratus, propugnaculum & Lib. 8. de LL. vinculum legum & boneſte discipline appellat. Adhac Theodoreſius in Epift. ad Cyriſum ait: Ecclesiæ eſt maneris, ut non ſolum pacifice, ſed pie etiam ſubditū viuant. Et ita omnino: nam uno verbo pietas & religio in animis ſubditorum unanimitatē, unanimitas pacem publicam, pax publica veram εὐδαιμονίαν generat, & arctissimā catenā coniunctas fervat. Non autem miſerior rerum facies datur, quam ſi Rep. pietate indigeat: Etenim impietas & neglectus religionis discordiam, hæc perpetua odia & altercationes, hæc flebit atq; internam Reip. ruinam conciliant. O beatum ergo & bene imperantem Principem, qui hæc avertit & ſummo ardore Religionis curam in ſe fuſcipit. Vid. Pufendorf. Op. ſup. citati C. IX. §. 3. 4. Henr. Hennings de ſumma Imperat. Potest. circa Sacra. Brunnem. Jus Ecclesi. Cap. II. Lib. I. §. II.

§. VIII. Pugnat pro ſententia noſtra etiam πολυθεῖον τῶν Politicorum axioma: Ecclesia eſt in Republica, non Republica in Ecclesia. Sumunt verò hic vocem Ecclesia non ita generaliter, ut totum hominum, ubiqunque terrarum degant, ad vitam æternam vocatorum ſyſtema connoget, qui ſenſus huijus vocis plerumq; in Scripturis S. obtinet. Et hæc Ecclesia vel hoc ſyſtema non habet caput aliquod viſibile, ſed Caput ejus in viſibile eſt ſolus Θεος Θεωνος, quod Theologi ſatiſ ſolidè contra Papæos evincunt. Vid. ſystemata Theol. paſſim. Sic quoque in ſe continent varias Respp. quorum Principes ceu membra Ecclesia intra Eccleſiam conſtituti funt. Sed accipimus in ſenſu ſtrictiori, quo notat cœtum aliquorum fidelium (particularem) in loco certo (inq; certa Rep. ac civitate) ad ſalutem participandam vocatorum & in communione ſpirituali interna perſiſtentium, quaē definitio eſt Kōmgii Theol. Posit. Part. III. §. 1010. ita dicimus Ecclesia Suecica, Saxonica &c. imo adhuc ſpecialius Ecclesia Gryphiswaldensis, Holmiensis, Stralsundensis. In iſta acceſſione firmo Axioma ſtat talo, quod nempe Rep. non ſit in Ecclesia; Neque enim cura Reip. ad Eccleſiam pertinet, neq; eadem pro Rep. bella gerere, neq; leges figere, neq;

neq; sudditos sub legibus coercere potest: sed hæc omnia ad Principem pertinent. Est itaque Ecclesia in vel sub Republ. Explicant hoc Politici & imprimis *Becmannus Parall. Polit. Cap. XVII.* ubi ostendit idem esse ac sub LL. Imperatorum vivere, protegi, quietam vitam sub eis & ex eorum protectione ducere &c. Eo verò ipso, quod protectionem à Rep. exspectat Ecclesia, & quo illa hanc sub regimine suo tutam præstat, Ecclesiam sub Rep. esse oportebit. Etenim non potest esse relatum sine correlato, neque agens absque paciente. Si igitur ea propter in & sub Rep. est Ecclesia ac Principis tutelæ confidit, quis igitur est, qui Principibus potestatem circa Sacra, qui curam religionis, qui jus protegendi ac regendi Ecclesiam velet derogare. Perinde est, ac si Pastoribus curâ ovium & agnorum interdicemus, quam nô Pastores esse desinunt, deponere nequeunt. Ideoq; etiam in Scripturis Principes dicuntur **שָׁרִים** Pastores Es. XLIV, 28. qui prospiciunt populo de pastu & corporali sive felicitate civili & spirituali, sive æterna. **אֱלֹהִים** *Dii terrestres*, Ps. LXXXII, 1. vicarii puta, & Legati veri DEI, quem & ipsi colere debent, & subditis præcipere, ut & ab illis debito modo colatur. **אֲבֹתִים** *Patres* 1. Sam. XII, 15. **מַגְנִים אֶרֶץ** *clipei terre* Ps. XLVII. ult. *Ecclesiæ אֱמֹנָה Nutritio* & **לָכְדִּים כִּינְקוֹת** *Læctrices* Es. XLIX, 23. Ecclesiam velut pupillam atq; infantem ab adversiorum fraudibus tuentes. *Vid. prater Becm. l. c. Henr. Henniges Cap. II, op. cit.*

§. IX. Ultimum deniq; atq; firmissimum assertionis nostræ fundamentum ex ipsis visceribus summi Imperii atq; majestatis indeole peti posse arbitramur. Ea vero est summi Imperii indeoles, quæ omni imperanti, qui veram majestatem possidet (h. e. qui summum Imperium habet, & eo ipso, quo illud habet, aliud summum juxta se pati nequit) omnia quoq; majestatis jura communicat, quæ vulgo Regalia audiunt, & ab ipsa majestate non nisi ratione objectorum differunt. Hæc enim se tantum per diversos actus exercit, id quod ulterius progressuri evictum dabimus. Est autem inter jura majestatis & ipsam majestatem tam indissolubilis tamque arctissimus nexus, ut impossibile sit unum ab altero divelli, nisi regularis Reip. forma

corrupta reddatur, & irregulare corpus resulteret, malo firmo duntaxat pacto cohærens. Nam simulac Princeps incipit esse Princeps, ac summo uti imperio jubetur, regalia simul omnia adipiscitur, quum illud absque his neq; exerceri neq; concipi queat. Esse autem hoc inter Regalia five jura majestatis unanimi Politicorum consensu comprobatur, ad quos B.L. ablegamus. Præprimis autem probatur *Pufendorffio*, quoniam, si Princeps non posset hanc potestatem sub juribus summi imperii comprehendere, necessariò alii ea competeteret. Confidat enim alicujus externo regimini ecclesia necesse est. Ex hoc vero illud colligit absurdum. Quodsi v. gr. Princeps legem præscribat eamque sub mortis naturalis poena servandam præcipiat. Alter vero hoc ipsum dissuadeat, & quidem sub ea conditione, se DEO poenam mortis æternæ esse daturos; Uterque vero suo jure independent & seorsim sibi competente; sequeretur, non tantum cives, eti innocentes puniri posse, sed & in irregularem ac bicipitem statum Remp. dissolvi. Putat quoque eum Scriptura, impossibile esse duobus Dominis servire. Et iure circa religionem amissio cives superstitionis animari ad rebellionem. *Vid. Pufend. de Jure Nat. & Gent. Lib. VII. C. IV. §. 1. 11. 12. B. Dn. Zieggl. in aureo illo tractatu de Juribus Majest. C. III. §. 21.*

§. X. Dnn. Theologi addunt hanc rationem, quod Principi sit injuncta cura utriusq; tabulæ Decalogi, id quod probant ויהי שבחתו על בזא sati perspicue ex Deut. XVII, 18. 19. מלכתו וכח לו לא תשנה התורה הזה Sed erit, quum insidiebit Rex solio regni sui; ut describat sibi exemplum hujus legis in libro, ex eo, qui erit in conspectu Sacerdotum Leviticorum: Erigat penes eum & leget in eo omnibus diebus vita sua; ut discat timore Iebovam DEUM suum, obseruare omnia verba hujus legis & statuta ista faciendo ea. Hic expresse dicitur, quod debeat non tantum in legis libro legere, sed legem etiam servare, quæ se ad utramque tabulam extendit, quod illustrant ex Jos. I, 6, ubi Josua expressis verbis cura de-

man-

mandatur כָּל־תֹּורַה omnis legis i.e. utriusque tabulæ. Quod ipsum illud Imperatorum Germanorum decus Carolus M. accurate observans, sibi gladium vaginâ nudatum semper præferri curavit has literas repræsentantem D. P. C. C. A. D. C. Decem Præceptorum custos Carolus à DEO coronatus. Quas literas incertus quidam Auctor egregio, quod concinnavit, Epigrammati præfixit h. m.

Dura quidem pro Te Germania viribus almis
Per mare, per terras, varia & per climata terre,
Cum duris dure populis, & maxima bella
Confeci: Hinc proprio regnum mibi sanguine partum est.
Arma virosq; graves per vincula tetra ligatos
Ducens, ad patios redii sine vulnere lares.
Cæsareum nomen tribui mibi maxima virtus.

Quum itaque omnium præceptorum debet Princeps custos esse, Tria verò priora DEI tantum cultum injungant, quid obstat, quo minus potestatem ad observationem horum præceptorum subditos cogendi adjudicemus, quæ veræ religio-nis fundamentum constituant. Eos enim felices dicit esse Augustinus Principes, si suam potestatem ad DEI cultum maximè dilatandum majestatis ejus famulam faciunt. Addunt adhuc dicta Psal. XXIV, 7. 9. Rom. XIII, I. I. Tim. II, I. &c. Sed nobis extra sphærām civilem egrediendum non est. Conf. Gerhardi LL. Tom. VI. Loc. II. Cap. VI. Sct. V. Membr. I. Brummanni Jus Ecclesiasticum C. II. Henniges I. cit. C. II.

§. XI. Præterea comprobant istam in sacris Principum potestatem tot Regum Principumque exempla, quorum infinitus certè est numerus. Pauca igitur tantum, ne nostri officiū planè obliti esse videamur, tam ex Rep. Judaica & Ethnica, quam Christiana feligere, instituti nostri ratio est. Ut vero ordine procedamus, eminet inter ceteros primus ille Israelitarum Dux Moses, qui populi Israelitici Dux erat Politicus, nihilo tamen minus admodum anxius erat in obser-vandis & tradendis legibus Ecclesiasticis. Succedebat ei strenuus ille & intrepidus heros Josua, quem sacræ nobis literæ Israelitas circumcidendos curantem, legem DEI populo pro-mul-

mulgantem fœdusq; cum DEO renovantem sicut sunt. Rex ille Deo dilectus David quantum curæ circa Ecclesiam bene instituendam tribuit, in aprico est. De Josaphato admodum collapsam religionem reparante & Ezechia cultum corruptum repurgante &c. Confer. præter Josephum in Libb. de Antiquit. Ju-
deorum Sacra litera passim.

§. XII. Ex Gentilium Rep. ut pauca tantum adducamus, cæ-
teris præferuntur merito Perse, quorum neminem ad impe-
rii fastigium evehi potuisse referunt, nisi antea Magorum di-
sciplinam scientiamque percepisset, eo fini, ut eō melius sa-
crorum cura à summa Majestate administraretur. *Vid. Peucerus
de Divinatione p. 135. b. & 136. a.* Nec minorem quoque curam
adhibuerunt Imperatores illi Ethnici, qui ante Constantini M.
tempus imperii summas tenuere. Aurelianus enim (cætera omitto)
tantum abest, ut is iniquus aut Christianis inimicus
fuerit, ut suam potius in postrema & frequentissima contra
Paulum Samosatenum Synodo Antiochianæ autoritatem inter-
posuerit, & Samosatenum domo Episcopali cedere nolentem
exire compulerit *Euseb. Lib. VII. Cap. XXX.* Pari Felici et
iam modo, qui Judææ, Cumano sublati, prærerat, sacra curæ
erant, id quod exemplum D. Apostoli Gentiumq; Doctoris
Pauli confirmat, qui causam coram illo accusatus dicere cogebatur *Aet. XXIV.* Plura suppeditabit *H. Grotius de Sum. Imp.
potest. circa Sacra.* Alia vero conditio erat imperii Imperatorum
Ethnicorum in veram veræ Ecclesiae religionem; Etenim
possidebant quidem vi Majestatis summiq; imperii jus hocce
circa Sacra & religionem. Verum (uti saepe laudatus *Brunne-
mannus in Jure Eccl. C. II. §. 26.* bene distinguit) actu tantum primò
non vero secundo, quum legum sacrarum, ex quibus quæstio-
num decisio pendebat, fuerint imperiti; & erant decreta, quæ
circa religionem Christianam ferebant nulla, non quod ab
Ethnico Imperatore, sed quod ab ignaro Sacrarum literarum
ex errore quasi data erant.

§. XIII. Mutata verò religione Ethnicæ, conversisque
ad Christianismum Imperatoribus mutata etiam fuit
rerum facies. Teste enim *Socrate Lib. V. Hisp. Eccl. f. 259.* A.Q.
8

χριστιανοῖς ήξεντο ὁ βασιλεὺς, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἡγε-
το εἰς ἑαυτῶν. Ex quo Imperatores cœperunt esse Christiani, Ecclesia ab
ipsis dependerunt. Tum enim jus hocce in actu secundo habe-
re h. e. uſu plenario exercere cœperunt, quum legis divinæ
periti exīstebant. Et hic jam latifimus nobis exempla citandi
campus patet; sed pauca decerpemus. Primas tenet primus
Imperatorum Christianorum *Constantinus* ob magnitudinem &
gloriam rerum gestarum verè Magnus dictus, qui omnibus
Historiæ scriptoribus Ecclesia audit Pater, Patronus & custos
pius, benignus, liberalis, placidus & æquus. Hic ut ipse veram
de Christo confessionem amplexus est, ita & occlusis templis,
Ethnicorum idolis confecratis, graviter subditos ad eandem
fidem recipiendam horcutus est. Tempa Christianis vel in-
stituit, vel instauravit, vel illa ex fundamentis nova erigi jus-
fit, & extintis crudelissimis Christianorum hostibus publi-
co edictō Christianis de libertate religionis cavit. Doctores
publicos publicè instituit, iisque stipendia constituit, liberum-
que adeo ac publicum Christianis religionis exercitium con-
cessit, quo effecit, ut omnes nationes patria simulacra & ido-
la confringentes ad Christi fidem conversi sint testante *Theo-
dor.* Lib. I. cap. VI. & P. Diacon. Lib. XI. Diem Dominicum
& Veneris quem vocant, in locum Sabbathi Judaici cultui
divino dicavit, hunc in passionis, illum in resurrectionis Ser-
vatoris nostri memoriam. Vid. bac & plura adhuc alia ap. Euseb.
toto Libr. X. Hist. Ecel. & Libr. IV. de vita Constant. M. ut & Sozomen.
Lib. I. cap. VII. Uno verbo D E U M verum verè coluit, quare
DEUM tantis eum implevisse muneribus *Augustinus* tradit, quan-
ta optare nullus audeat Lib. V. cap. 25. De Civ. DEI. A critere
vestigia ejus infsecuti sunt, ut de cæteris taceamus, *Theodosius M. Ju-
stinianus* & *Martianus*. Iste ceu verus Ecclesiæ nutritius impio
idolorum cultum abrogatō, veram contra religionem promo-
vit, leges ferendo, dissidia in Ecclesiis sedando, concilia ha-
bendo, hæresesque damnando, quin imò & filiis in extremo
mortis periculo salutem Reip. & Ecclesiæ commendavit. Id
quod *Ambroſius* in Orat. de ejus obitu Tom. III. Opp. f. 59. admiram-
do extollit præconio: *Dilexi, inquit, virum, qui cum jam corpore*
fel-

solveretur, magis de statu Ecclesiarum, quam de suis periculis angebatur.
Ille pius certe & religiosissimus Imperator omnibus Christianam fidem non exspectatā Pontificis autoritate & consensu declarans, jus suum & potestatem circa Sacra egregiè defendit.
Hujus non minus celebre exstat apud Historicos præconium, quippe penitus fermè hæreticorum contagium extirpare conatus est, magnumq; labo Arriana infectis proceribus terrorrem injectit, leges tūlit de ordinatione Episcoporum, privilegia presbyteris concessit &c. *Vid. Socrates, Cedrenus, Ruffinus &c.*

§. XIV. Venimus ad novam Romani Imperii periodum, ubi Carolus M. imò verè Maximus, verae, uti à Concilio Moguntinenſi appellatus est, Religionis Rector boni Ecclesiā curantis Principis ideam suo ipſius exemplo exprimit. O quantum decus & præſidium gregis Christianæ! Tantum sc. ut quicquid in eo offendimus, nil nisi anxiā de florente Ecclesiæ statu sollicitudinem arguat. Sive enim tot Academias sub illo florentissimas illarumque protectionem & conservationem, sive habita concilia, sive populi sub eō conversi multitudinem, sive tot ministrorum Ecclesiæ ac Episcoporum constitutionem sive tot laudabiliter institutas leges atque ordinations circa disciplinam Ecclesiasticam, uti concentus in Ecclesiæ &c. spectemus; quilibet sicuti ex ungue leonem & fimbriā vestem novisse datum est, non tantum de optimi hujus Imperatoris, sed & cæterorum Imperatorum parem majestatem tenentium pari in Sacris potestate maturum judicium ferre poterit. Tempus me deficeret, si cæterorum Imperatorum & quidem exquisitissima tantum adderem exempla, quum ex adductis de summo Imperatorum circa Sacra Imperio satis constare posit. Plura desideranti infinita de Ecclesiastica historia patent congesta volumina, quæ consulat. Hoc merito ceu notandum addimus, quod *Goladus in Pref. Confitt, Imp. ad Imp. Matthiam* obſervarit, Imperatores titulis suis honorem Pontificis maximi inferuisse indicantes, sibi esse datam à DEO supremo Imperatore potestatem atque jus in omne hominum sub Imperio suo degentium genus sive sacrum illud sit sive profanum.

§. XV.

¶. XV. Atque sic ex Imperio Germanico-Romano fugitivo gradu in auras Regum quorundam expatiarum. In Anglia, in quam primo cursum dirigimus, vah! quam clarum hujus potestatis documentum tradit Henricus VIII. Annus agebatur post Christum incarnatum 1535th, quem hic, licet Pontifici Romano in omnibus morem gereret & contra B. Lutherum librum scriberet, tamen post repudiatam uxorem Catharinam à Pontifice Clemente excommunicatus regno deponeretur. Tum ille adversus Pontificem decretum fecit, quo se per Angliam Ecclesiæ Caput proximum à Christo pronuntiavit & capitis pœnam constituit, si quis Episcopo Romano summam adscriberet potestatem, Præfectis etiam Clementis, qui Denarium S. Petri colligere solebant Angliæ ejectis sibi denarium retinuit. Hispania sifit nobis Philippum II. devotissimum quidem Pontificis filium haut tamen æque fidum, ubi de præjudicio ejus agebatur; quapropter & per Oratorem suum Sixto V. denuntiari curavit, se eum non agnitorum ceu Pontificem, nisi caufæ Henr. IV. Galliarum Regis favere desineret. Quanta in Galliâ de hâc re dissidia sint, quum ad hunc usque diem Concilii Tridentini promulgatio contra Ecclesiæ Gallicæ libertatem non potuerit obtineri & pueris notum est. Præterea & Rex ipse Beneficia Ecclesiastica confert, à Prælatis homagium exigit, ipseque si quid circa Ecclesiam reformatum venit absque ullâ Rom. Pontificis autoritate & consensu convocat. Nee in Galliâ quicquam prius Pontificis censura, quam à Rege sit confirmata valet, id quod hodierni Regis Sanctione Ao. 1665. repetitum est. Porro etiam nulla alia cruenti belli inter Papam Paulum V. ac Venetorum Remp. gesti fuit causa, quam quod Dux & Senatus judicium sibi in aliquot Monachos & personas Ecclesiasticas omnibus sceleribus & facinoribus infames sumserit. *Vid. Kortholt. Hist. Eccl. p. 851. Brunnem. l. c. Cap. II. §. 27. Henr. Henniges, dict. tract. Cap. II. §. 10. Becm. Meditt. Politt. Cap. XVII. §. 6.* Quæ & alia exempla fatis evincunt, quam vere Principes hanc potestatem Pontifici Rom. ereptam sibi adscribant.

§. XVI.

§. XVI. Tandem adire juvat Sveciam nostram, in qua haut ita pridem Divus clementissimi nostri Regis gloriose & piæ memorie Parens Carolus XI. Anno nempe 1694. d. 6. Octobr. plentissimum juxta ac sapientissimum de coercendâ intra regnorum atque provinciarum sibi parentium fines Novatorum arrogatâ licentiâ Decretum Holmiae publicavit. Testatur in eô glorioissimus Princeps nihil se cura conservande Lutheranæ Religionis habere prius, nihil quoque antiquius, ac proinde omnibus subditis, Ecclesiæ ministris Doctoribusq; Academica Juventuti sacram de Deo doctrinam tradentibus ferio omne hæretica ac fanaticæ novitatis studium, phrasum item heterodoxarum, suspectarum, periculosarum ac scandalosarum usurpatione interdicit; sed sacrâ potius literis librisq; publicâ Ecclesiæ autoritate evulgatis & receptis symbolicis strictè ac unicè inhærente jubet. *Vid. B. Dn. Carpzovii. Theologi apud Lipsenses ut meritissimi ita desideratissimi Difserit. de Jure decidendi controverf. Theologicas.*

§. XVII. Patebit igitur ex diâdis, quam verè jus & potestas circa Sacra Principi competat, & quo jure omnino eam tueri possit ac vindicare. Interim tamen non erubescunt Pontificiorum aliorumque cohortes hanc thesin nostram non minimum labefactare atq; impugnare, quorum Duces & Antesignani præcipui sunt *Bellarminus, Baronius, Recamus, Nicolaus Sanderus, Thom. Bozzius, Cosmas Magalianus &c.* His assentientur Calvinianorum plurimi, qui in disputatione cum *Nicolaio Vedelio* id unum egerunt, ut Magistratio Politico omnem circa Sacra potestatem eriperent. Quod libris integris Vedelio oppositus *Jacobus Revius, Jac. Triglandius, Guilielmus Apollonius nec non Voëtius Part. I. Polit. Ecclesiast. Lib. I. tr. II. ficerunt. Vid. Carpz. land. Difser. Sccl. II. Thes. VIII. §. 2.* Ut verò nostri asserti veritas paulò plenius eluceat, ea que nobis pro stabilienda erronea sententia objiciunt, paucissimis pro virili sumus soluturi.

§. XVIII. Prima autem eorum cura est, qua verentur, ne per hanc potestatem *cautelaritia* introducatur. Equidem haud imus inficias, quod *cautelaritia* i. e. quando Cæsar officia Romani Pontificis sibi arrogat, non minus increpan-

panda veniat ac παποκατασάρια, quando nempe civili Imperio Papa uti Princeps præfet. Quod vero per potestatem hanc Ecclesiasticam eandem sibi vindicet Princeps, quam Papa, in totum negamus. Nam (1) Papatus non simpliciter consistebat in directorio Sacrorum, sed in universali etiam quodam regimine, id quod historiæ de controversiis inter Pontifices & Rom. Imperatores agitatis facillimè probant. Quantam enim Imperatoribus ex eo tempore, quo Episcopi Romani non nihil insolescere & super Ecclesias alias Episcopatu Romano non subiectas inspectionem sibi sumere cœperunt, vim intulerint, in aprico est. Siquidem (ut à secundo seculo incipiam) tanta tamque nefanda fuit Victoriae XV. potestas, ut circa Annum Christi 191. occasione controversiæ de celebratione Paschatis omnes Ecclesias Græcas damnarit Enseb. Lib. V. C. 24. Hujus vestigia seculo sequente pressit Stephanus I., qui Heleno & Firmiliano omnibusque in Cilicia, Cappadocia, Galatia degentibus nec non universis eorum conterminis omnis generis afflictiones eo, quod haereticos rebaptizarent, minatus est. Et quis omnia exempla una serie valebit enumerare. Hoc tantum addimus, quod Seculo XI. & XII. non tantum in spiritualibus, sed etiam secularibus Pontifices vim ac fraudem usurpaverint, & super Imperatores Regesq; terræ semet evexerint; Cujus tyrannidis initium à Pontifice Gregorio VII. al. Hildebrando dicto factum est. Nimur is Henrico IV. Imperatore excommunicato subditos Imperii à Juramento odidentiae absolvit, cuius filium & in Imperio successorem Henricum V. Paschalis II. in turbanda Germania nulli Pontificum secundus non certè minoribus ærumnis infestavit. Vid. Kortholt Hist. Eccl. Seculo XI. & XII. Compend. Gotkanum L. II. C. IV. S. IV. B. Dn. Lassenii sub B. Dn. Tabberro, D. & P. P. nec non Superintend. Generali Pomeranæ habit. Dissert. Inaug. de Palladiis Romane Ecclesie destructis. B. Straussi Colleg. MStum Hist. Eccl. An vero moderna Imperatorum potestas directiva cum hoc nefando regimine congruat, B. L. ipfemet judicabit. (2) Negamus exinde, quia Papatus conscientiis vim inferre, & cultum Divinum, cuilibet obtrudere

dere conatur. Unde flammā etiam Romanæ aulæ præsides, igne, rotā suppliciisque aliis in homines fævierunt; prout dira fata Hieronymi Pragensis & Joh. Hussi tristi sanguine comprobarunt. Cuinam vero Principum tale hodie dominium conceditur?

§. XIX. Cœterum objiciunt: hic fieri confusionem muneris Ecclesiastici ac politici. Sed Resp. Negando. Perpendamus enim in quo consistant Magistratus Politici, & ministri Ecclesiæ officia. Munus Ecclesiasticum consistit in prædicatione Evangelii, administratione Sacramentorum, &c. Munus politicum vero in dirigendo & præcipiendo imo & coercendo contravenientes tam verbi ministros quam auditores. Quænam vero hic est confusio, dummodò quodcunque agit, quod suum est. Perinde est ac si quis officia Medici & Principis vellet confundere, eapropter, quia Principis est, Medicum male ægrotum sanantem mediaque sanandi negligenter coercere. Admodum enim distinetæ sunt Medicum agere & Medicum male sanantem punire. Ita & Princeps non sibi arrogat munus Ecclesiasticum, qui præcipit prædicationem verbi, & Sacramentorum administrationem, ceu media, quibus subditorum morbi spirituales sanentur, & corrigit sui officii immemores; sed agit tantummodo politicè, vel potius Architectonicè, non verò Ecclesiasticè, sic enim ipse ceu minister Ecclesiæ Sacra administraret, quod ipsi non conceditur, sed confusionem utriusque muneris pareret. Distinguunt hinc inter potestatem externam & internam. Hanc, quæ functio est Ecclesiastica, cui imperatur, Ministerio Ecclesiastico intra Ecclesiam Sacra, eaque quæ ad internum DEI cultum faciunt, internamque hominum salutem respiciunt, administranti; Illam Principi adjudicant. Est enim tantum imperium circa Sacra, quâ extrinsecus princeps imperat. Hujusq; distinctionis originem Constantino M. adscribunt, qui ad Episcopos in convivio exceptos: *Vos quidem, in iis, quæ intra Ecclesiam sunt, Episcopi ejus.* Ego vero in iis, quæ extra geruntur, Episcopus à DEO sum consuli. utus. Quo ipso nobis occasio nascitur novum ac πολυθεϊστην Romano Catholico-

licorum argumentum refellendi. *Enim verò afferunt Principem esse intra Ecclesiam, non extra vel supra eam, ideoque non posse Ecclesiæ imperare.* Scilicet respond. distinguendo inter acceptionem vocis Ecclesiæ latiore vel generaliore, quā totam Ecclesiam Catholicam notat (§. 8.) & specialem, quā cœtum notat in certa aliqua Rep. congregatum de priori concedimus, de posteriori negamus. Instant: quod & isto sensu non posset extra Ecclesiam esse, siquidem ipse sit membrum Ecclesiæ, quod regi oporteat. At vero confideramus Principem vel ceu Christianum & personam singularem abstractam planè ab omni regimine. Sic utique membrum est Ecclesiæ, & à ministro verbi regatur, necesse habet; vel ceu personam publicam & moralem, si ita intuemur, supra Ecclesiam est eamque dirigit ac tuetur, æquè ac si militia nomen dat: *Tum eò respectu, quo miles est, intra exercitum & ordinem equestrem est constitutus, quo Princeps verò extra vel supra eum, dum totus ab eo exercitus dependet.*

Vid. Henniges C. II. §. 17. 19. 21.

§. XX. Alii pro derogando Principibus hoc jure contendentes speciosiori hocce sententiam suam stabiluerunt argumento, Ecclesiam nempe visibili capite regi non posse, nec aliud habere caput, quam solum Servatorem CHRISTUM. Verum hæc inter se non pugnant. Nihil enim decedit Autoritati capituli summi Christi, quum unum idemq; caput relinquatur. Nec eò modo Principi, quo Christo tribuitur. Tribuitur Christo videlicet. (1) Ratione conditionis sive præstantiæ & eminentiæ, (2) Ratione communicationis, quā dat corpori suo mystico vitam, sensum ac motum, (3) Ratione regiminis & gubernationis, quia ipsi soli competit potestas Monarchica, (4) Ratione conjunctionis, quia nexus individualis coheret suis membris. (5) Ratione defensionis, quia prospicit incolumentati & saluti sui corporis. *Vid. B. Gerh. in Loc. de Ecclesia. n. 17.* Hoc modo soli Christo competit. At quando attribuimus hoc nomen Principibus, alia appellationis ratio est. Siquidem iis imponimus illud, tum ratione superioritatis terrenæ, quia in ista Rep. & in Ecclesia, quæ est in Rep. superio-

rem non agnoscimus; Isthæc vero superioritas Christo capiti summo atque universalis totam Catholicam Ecclesiam modo omnipotente regenti subordinata est: Tum ratione externæ protectionis, quia tot sunt Ecclesiæ coetus particulares externum aliquod regimen atque præsidium requirentes, ut ab exterorum hostium invasionibus ac persecutionibus eò tuiiores esse queant. Nulla autem datur in istis contrarietas aut repugnantia, quia caput hocce terrenum illi summo cœlesti capiti est subordinatum. Adeoque non minus isthæc inter se pugnant, quam dum omnes æquè universale DEI imperium agnoscimus, quæ creaturæ ejus; Nihilo tamen minus distincta in his terris ferimus imperia; ut vult Beccm. Medit. Polit.

Cap. XVII. §.3.

§. XXI. Certi itaque esse possumus, quod jus atque imperium circa Sacra Principi verè conveniat. Est autem (ne leges disputantium definitionem omitendo transiliamus) hoc Jus Regale sive Jus Majestatis Principi majestatem habenti competens, liberè de sacris, & que his accident, in Ecclesiæ salutem disponendi.

§. XXII. Attendimus in hac defcriptione animum præcipue (1) Ad genus, (2) Subjectum, (3) Modum Exercendi, (4) Objectum, (5) finem. Genus constituit Regale. Sunt autem Regalia five Jura Majestatis Jura ei, qui superiorem non agnoscit, vel cui concessione aut præscriptione consuetudineve quæsita sunt, competentia, ad salutem & Reip. decus tuendum, quam Definitionem ex Regneri Sixtini Lib. I. de Regal. Cap. I. n. 14. mutuatam B. Dn. Zieglerus nobis suppeditat Lib. I. Cap. III. §. 18. Notat autem ibidem se hæc verba, vel cui concessione aut præscriptione consuetudineve quæsita sunt, malle abesse, quum Jura alii de quæsita non possint esse regalia, & licet princeps jurisdictionem omnigenam, altam & infinitam nec non venationes vasallo inferiori concedat, esse tamen saltem tanquam commoda loci concessi, quæ ipsis accedunt salvâ superioritate, quæq; absque majestate possunt exerceri. Hæc Regalia omnibus, qui majestatem habent, vi ipsâ majestatis, & quia majestatem habent, competent. Sunt horum alia majora, alia minora. Majora vocantur ea, quæ statum ipsum publicum ejusque

que gubernationem concernunt. Dicuntur etiam persona-
lia, quia personæ & officiis Principis adhærent & separari à
majestate non possunt. Minora nihil aliud sunt, quam jura
ex certis redditibus eorundemque dispositione Principi per-
missa seu definitio *Zieglero* sunt commoda & emolumenta,
quæ ex bonis publicis vel alijs ratione imperii ab eo, qui sum-
mum habet imperium, percipiuntur. Ad majora meritò jus
circa Sacra numeratur. Sunt autem Regalia nihil aliud,
quam ipsa majestas, quum hæc sit indivisibilis & diversa tan-
tum respectu diversorum objectorum sortiatur nomina. Æque
ac soli videmus inesse vim illuminandi, calefaciendi, emollien-
di, exsiccandi, indurandi, quæ licet inter se differant, manent
tamen ipsissimus Sol diversas tantum appellationes natus.
Vid. Becm. Medit. Polit. C. XVII. §. 1. & Conf. Polit. C. XX. Eandem
similitudinem habemus in anima humana, quæ sese per diver-
sissimas facultates vegetativam, sensitivam & rationalem exe-
rit, interim una est anima, que diversorum effectuum respe-
ctu diversam quoque denominationem habet.

§. XXIII. Subjectum hujus potestatis idem est, quod
est Subjectum Majestatis: quia enim hoc jus majestatis ipsa est
majestas, etiam in subjecto convenire necessè erit. Est vero Sub-
jectum majestatis persona moralis, quam Respublica induit
pro exercitio iurium suorum, uno nomine Princeps, in quo-
cunq; Reip. statu primatum teneat, sive sit in Monarchico,
sive Aristocratico, sive Democratico; in quibus ultimis singu-
li quidem seorsim majestatem non habent, conjuncti tamen
eam sustinent, quippe designatam personam moralem repræ-
sentantes. Dubium vero hic facile enasci poterit, quomodo
Electoribus cæterisque Germaniæ principibus possit compe-
tere, qui majestatem non habent. At paucis in isthoc dubio
solvendo nos expediamus. Nimirum non competit illis ex-
inde, quod Jura Episcopalia per religiosum pacis instrumen-
tum à Papa Romano nacti sunt, sed constituant Politici ma-
jestatem quandam analogam, quam uno nomine *superioritatem*
territorialem vocant, & non differt à majestate, nisi quod non
sit summa & agnoscat superiorem. Ex vi & indole hujus
supe-

superioritatis Principibus & Electoribus ceu Vasallis Imperii Rom. adjudicamus, quia vi hujus omnia, quæ Imperator habet, possident: quapropter etiam æmula supremæ majestatis vocatur. Hinc antiquum illud: *Cuius est regio, ejus etiam est religio.* Et formula ista antiqua, quâ Princeps in territorio suo Papa perhibetur, originem traxit, nec non illud de Ducibus Cliviæ proverbium: *Een Hartog von Cleve iß Paß in sinem Lände.* De qua formula admittenda multæ fuere disceptationes, quas inter se transfigant Politici. Hoc tantum notamus, quod retinendam eam esse moneat *celeberrimus Dn. Strykius in Differ. de Jure Principum Ecclesiastico.*

§. XXIV. Modus exercendi hanc potestatem consistit, uti in definitione est, in disponendo de Sacris. Est autem iste non Ecclesiasticus, quâ modò à ministris Ecclesiæ Sacra peraguntur; neque mere Politicus, quâ ab externa vi hostiumque invasionibus Ecclesiam Princeps defendit, quemque omnes Ecclesiæ Romanæ basiatores eorumque caput Bellarminus concedit: nec etiam tantum Oeconomicus, quâ ministros sustentat, templa constituit, & alia quæ ad Oeconomiam Ecclesiæ generalem pertinent, procurat; sed est fermè mixtus, qui cæteros unâ implicat & ut vulgo audit Architectonicus. Nascitur hinc divisio in Architectonicam potestatem & Dogmaticam. Architectonica eadem est, quæ externa, quamq; supra diximus esse imperium circa Sacra externum sive vis dirigendi Sacra, quin imo & ipsam potestatem Dogmaticam. Debet hæc vox natales Philosophorum antesignano *Ariſtoteli, qui L. i. magn. morel. C. i.* eam Politicæ apposite tribuit, quam vocat prudentiam Architectonicam eam ob causam, quia ut Architectus cæteras causas ministeriales in effigium domus influentes dirigit, iisque modum domus exstruenda præscribit, ita & illa cæteras virtutes regit, & de circumstantiis, prout agendum est, monet. Ob similem quoq; rationem de Principe non incommodè in direktione cultus divini dici potest, quod habeat potestatem Architectonicam, vi cuius modum præscribat, quo debeant subditi doceri, utcunque ipse non doceat. Nec refragatur sententia huic con-

consummatissimus ille Lipsiensium Theologus *Hüsemannus Brev.*
Cap. XX. Th. IX. dum titulum hunc ceu ineptum respuit. Etenim similem esse credit causæ subordinanti univocæ, quo sensu, quia Dogmaticam includit, omnibus Orthodoxæ Ecclesiæ Doctoribus improbat. Non enim potestas Principis in effectus supernaturales, quæ ad forum Ecclesiasticum spirituale concernunt, influit; sed civiles, quæ ad forum Ecclesiasticum spectant. *Vid. Ziegler. in cit. tract. L.I. C. XIV. §. 10. Conringius in Diff. de Mag. Civ. autor. & offic. circa Sacra. B. Val. Alberti, Prof. Lips. in contin. System. Kromay. Loc. XX. 8. 1^o. & Apb. II. §. 1. Marc. Anton. de Dominis. de Rep. Eccl. L. VI. C. 5.* Dogmatica convenit cum interna & exercetur à verbi DEI præconibus modo merè Ecclesiastico & occupatur, ut diximus, in predicatione verbi Divini, remissione peccatorum, nec non dispensatione atque administratione Sacramentorum.

§. XXV. *Objectum est vel personale vel reale. Personale* est ipsa Ecclesia, &, quia hæc est in republ. tota, nemine Jesus membro excepto; Hinc nemo, sive sit secularis sive Clericus, potest ab obsequio Principi præstanto immunis esse, aut si adversus leges peccaverit, poenas dare detrectare, sed iis potius debet morem gerere, quorum curâ & sollicitudine pace & tranquillitate publicâ fruitur. *Reale* sunt partim Sacra videlicet externa, uti in frontispicio jam vocem ab homonymia liberavimus h. e. quæ in sensu humanos incurront & ex actibus vel signis seu necessariis seu probabilibus intelliguntur *Hennig. Cap. III. §. 2.* partim Bona Ecclesiastica legitime dispensanda. Unde etiam addidimus in definitione, *que bis accidunt.*

§. XXVI. *Finis est vel ultimus civium ac subditorum salus* atq; *évðæpvla* ad quem finem tanquam summam legem & prescriptam normam actiones suas Princeps dirigere debet. *Vel intermixtus*, qui communis pax & tranquillitas. Hæc enim est fons, è quod finis ultimus provenit, & qui vult finem ultimum & hunc velle media ad finem ducentia necessæ est; namque dissidia & odia non felicitatem atque salutem, sed interitum potius promovent. Addunt nonnulli

magis

magis tamen ceu informati è Theologica quam Philosophica Cathedrà, etiam Principem spectare debere statum subditorum post hanc vitam, ideoque etiam in regime id agere debere, ut civium salus æterna procuretur; Unde etiam Author libri de regimine Principum, qui Thomæ adscribitur: *Finis*, inquit, *ad quem Rex principaliter intendere debet, in seipso & in subditis est æterna beatitudo, que in visione Dei consistunt: & quia visio ista est perfectissimum bonum, maximè movere debet Regem & quemcumque Dominum, us hunc finem subditi consequantur.*

§. XXVII. Partes Imperii circa Sacra potissimum Tres constituunt. (1) Jus ferendi leges Ecclesiasticas. (2) Jurisdictionem Ecclesiasticam, & (3) Jus Advocatiae. *Jus ferendi leges Ecclesiasticas* competit utiq; Principi, quia subditi sine legibus ad Ejus normam sese non possunt componere, Imperiumque Principis frustra esset, imo plane nullum, nisi potestatem haberet animi sui sensa exprimendi, subditisque per leges declarandi, quid facere quidve omittere debeant. Itaque dum se Imperium Principis vi maiestatis ad Ecclesiam extendit, Principisque cura est, ut omnia ordine & decenter fiant, leges ferat necesse est. Ita Augustinus Epist. L. serviunt Reges Terræ Christo etiam leges ferendo pro Christo. Paulus quidem tertius insigni fraude Carolo V. illudebat, persuadens ei, leges de Religione fancire non esse Imperatorium munus, sed Sacerdotum Domini. Ast contrarium exemplum habemus in Gregorio Magno, qui leges ab Imperatoribus latas Ecclesiasticas ipse publicavit & ad Italiam Siciliæque Episcopos observandas transmisit Lib. I. Epist. XLIII. & Lib. VII. Epist. XI. *Vid. Henniges d. tr. C. V.*

§. XXVIII. Ex hoc jure fluit *Jus introducendi religionem, eamque veram.* Est autem vera Religio, quæ verbo DEI & Sacrae Scripturae aptè congruit; In eâ enim DEUS voluntatem suam de credendis ab hominibus pariter & faciendis fatis apertè patefecit. Ut verò ista religio veraque doctrina in Ecclesiâ sincerè & absque additamentis ex verbo DEI patefacto proponatur, maxima cura & præcipuus Principis labor esse debet. Ita enim Theodosius ad Hormisdam. *Inquisitio vere Religionis Præcipua est sollicitudo Imperialis Majestatis.* Hinc

Hinc ad probè discernendam eam à falsa, judicio illi opus est, sed precibus, monente Zieglero, & pietate probè moderato. Eo usus religionum, cum normâ Scripturæ, cuius notitiâ Principem instructum esse oportet, convenientiam examinet; quamque in isto examine maxime Scripturæ congruentem deprehendit, hanc introducere, ut subditi etiam illam amplectantur, tenetur. Quodsi verò religionem, quam habet Resp. omnibus adlibitis intellectus & pii judicii viribus, Scripturæ non congruere, sed potius eam depravare animadvertisit, istam ceu Reipubl. pernitosam mutandi habet potestatem; Nec obstat, quod Reip. status inde mutabilis futurus sit. Id enim periculum non in Sacris, sed & aliis obtinet. Nec propter periculum abutendi jus suum cuidam denegandum est, sed unicè potius divinae providentiae Regum corda in manu gerenti est confidendum. *Vid. Zieg. Lib. I. op. cit. c. XIV. §. 9. Conringius in alleg. Diff. de auctorit. Maj. Civ. & offic. circa Sacra, & Beccmannus in Medit. Polit. C. XVII. §. 8.*

§. XXIX. Veram igitur religionem doctrinamq; Principis ut est introducere, ita & illius est introductam probè stabilire atq; confirmare. Quem finem ut impetrat, media etiam constitutat necesse est. *Quapropter Ius habet curandi, ut idonei & sinceri Doctores Ecclesie prefint*, qui bene subditos de vera religione erudiant, per prædicationem verbi, dispensationem Sacramentorum finem verae religionis salutem ac beatitudinem æternam promoveant. His vero, ut habeant, quo victum & amictum parare possint, quia operas manuarias exercere non possunt, ut quoque alacriores sint ad munus ritè obeundum & administrandum, de honesta sustentatione prospicere, iisq; salario ac stipendia constituere debet. Impios hinc etiam, irreligiosos atque immorigeros verbi ministros scandalosâ vitâ vel falsâ doctrinâ religionem depravantes, ne salus Ecclesiæ impediatur, coercendi, imò si emendari nolunt, penitus removendi potestatem habet.

§. XXX. At verò neminem docendi pollere facultate, ni ipse prius sit edoctus, experientia docet, & sequeretur hinc, nisi Juvenes ad docendum maturè præpararentur, in posterum Doctribus Ecclesiæ decadentibus, summam docentium fore

penuriam. Ne igitur hoc fiat, Principi jus enascitur *erigendi Academias, aperiendig, Scholas.* Ut enim hortus non potest per tot annos confistere, nisi in plantariis tenellæ educantur arbores, quæ in emortuarum locum aliquando succedant: Pari modo aëtum effet de Ecclesiæ, nisi habeat seminaria quasi, in quibus ii, qui ministris Ecclesiæ decedentibus succedant, ad ministerium per Doctores ac Praeceptores ritè præparentur atque erudiantur. Et hoc Principem decet, si vult bene Reip. consulere, efficere. Exemplum egregium omnibusque imitandum reliquit Carolus M. suprà nobis laudatus, is nempe adhuc florentem Academiam Parisiensem A. C. 791. instituit, ingentique prouentuum amplitudine locupletavit. Scholas, quas Osnabrugii Bononiæq; erexit, nec non quomodo Juventutem ad virtutem & diligentiam ipse incitaverit, brevitatis studiosi silentio preterimus.

§. XXXI. Huc etiam pertinet *Jus circa Disciplinam Ecclesiasticam*, quod confisit in cura Principis, ut omnia ordine atque decenter fiant, quæ ad externum DEI cultum pertinent, omnisi idololatricus cultus emendetur, omnesq; ceremonie atque adiaphora, ni vera pietatis indicia pra se ferant, immutentur. Hinc conficiet ordinationes Ecclesiasticas, quas vulgo Agenda vocant; adhibito tamen ministeriorum Ecclesia consilio, ne præscribantur, quæ infirmis scandalum Ecclesie interitum magis, quam commodum promovens præbere queant; Templa quoque confisit, tanquam loca publica cultui divino destinata. Huc etiam refert Zieglerius jus precum ordinandarum, quia ipsæ non tantum ad pietatem & devotionem publicam, sed etiam ad externum cultum divinum faciunt, inque iis communis Reip. & Ecclesia incolumentis DEO commendatur. Zieg. L. I. C. XVII. §. 2.

§. XXXII. Huic annumeramus quoque merito *Jus indicendi festa*. Qui enim Sacra in omnibus circa externa moderatur, is etiam temporis & loci destinandi facultatem habebit, qui merè sunt externa & exterrnum DEI cultum respiciunt; & hinc videmus, quod Augustissimus Rex noster summo jure dies pœnitentiales indicat, & cetera festa Eucharistica, quale haud iu pridem pro obtenta ab hostibus victoria ejus auspiciis celebravimus. Et hæc quoq; potestas, uti etiam cetera jura, nemini nisi Principi majestatem vel superioritatem territorialem habenti competit. Unde eam fortiter sibi asseruere Germanie Principes, dum Calendarium Gregorianum, in quo nova fefforum observatio præcipitur, quodq; Papa Gregorius XIII. vultuoso eis supercilios obtruderet volebat, ob inhabilitatem statuerunt rejecerunt, sub hac excusationis ratione: *Non Pope sed Principis cuiusvis esse in suo territorio de his disponere.* Conf. egregia Excell. Dr. Patenii, lunninis Academia nostra Gryphica selenidissimi, Patroni ac Fautoris nostri submissæ colendi Differe, de Jure Principi circa Supput. temporis.

§. XXXIII.

§. XXXIII. Quemadmodum autem Princeps id agit, ut bene constitutam veram religionem omnibus viribus conservet in Ecclesia; ita & omnia, quae Ecclesiam interturbant, quantum fieri potest, supprimat necesse est. Hinc fluit, quod etiam *potestatem habeat in hereticos*; Hereticos enim plerumque Ecclesiam infestare, & ni citio extinguantur, certissimum verae religionis & consequenter totius Reip. interitum afferre tristis proh! experientia docet. Heresim enim, uti gangrena toram sensim carnem inficit, & in toto corpore serpit; etiam totum facilè Ecclesiae cœtum corrumpere potest. Est itaque
immedicable vulnus

Ense recendum, ne pars sincera trahatur.

H. e. principiis obstandum est, ne hereles oriuntur, ortæ tamen maturè detegendæ & supprimendæ. Hinc inquiret princeps in hereticos, eosq; debito modo coercet. Poena autem hereticorum ex diversitate hereticoꝝ, quam fovent, est dijudicanda. Alii enim fovent heresim Theologie naturali contrariam, ita ut DEI existentiam negent foveantq; opiniones Atheismum prodentes. Hoc malum, quum ornatissimis societatis interitum conciliet, pœnis acerbissimis ex ipsis est extirpandum. Alii tenuunt heresim Theologie revelatae contrariantem; cum his mitius procedendum esse arbitrarentur: Sunt ii potius probè informandi, ingi meliorem viam redigendi; ertinaces vero adhuc manentes seductores omnem informationem r̄spondentes exesse potius Princeps è Rep. jubear, exemplo saepius laudati Constantini M. non vero interficiat, ut Pontificiū statuunt,

§. XXXIV. Sequitur ex dictis quoq; *Ius indicendi concilia & Synodos*. Qui enim habet potestatem introducendi religionem, eam stabiliendi &c. quidni etiam conventus publicos ordinare positi? Concilia autem sunt conventus Piorum, eruditiorum & gravium virorum ab Ecclesiis, ex omnibus earum ordinibus, ad legitimam & summa potestatis imperio fastam convocationem missorum, ut de fidei controversiis & disciplina Ecclesiastica ex verbo DEI discipiiant ac judicent, uti Zieglerus definit *I. b. i. C. XV. §. 2.* Dispescunt communiquer in *Oecumenica & Topica*. Ad Oecumenica celebranda ex omnibus & quam plurimis orbis Christiani partibus viri Docti & pii evocantur. Horum IV. tantum post Christum natum inter indubitate & ab omnibus approbata haberet Zieglerus notat: nempe [1] Nicenum I. hab. à Constantino M. A. C. 322. contra Arium, [2] Constantinopolitanum I. convocatum à Theodosio M. contra Macedonium Ao. 385. [3] Ephesinum hab. à Theodosio Juniore Ao. 433. contra Nestorium, [4] Chalcidoneum indictum à Martiano adversus Eutychen A. 458. Cetera nimis Constatinop. II. & III. Nicenum II., quæ Græci, nec non Constantinopolitanum IV. quod alii addunt, nondum ab omnibus pro Oecumenicis agnita sunt. Particularia & Topica iterum dividantur in Nationalia, ad quæ viri Docti & pii unius nationis evocantur; in Provincialia, in quibus Doctores unius provinciæ convenient; & Diaœcesana, quæ ex unius diaœceseos viris religiosis constat. König. Theol. Post. P. III. §. 1040. seqq. Exemplis nec Pomerania nostra Regia destituitur, sed præcepit XIX. numerat Synodorum jussu

et auspiciis Serenissimorum Ducum à B. Dn D. Knipstrovo, ceterisq; Superintendibus Generalibus convocatarum, quarum Acta collecta habemus in *Synodologia*, quam edidit *Vir Magnif. Dn. D. J. F. Mayer*, *Vir titulis suis omnibus superior*, *Præceptor ac Patronus noster plus quam filiali obsequio devenerandus*. Conf. etiam B. Dni Colbergii Moral. in hac *Academia Prof. Celeb. Dissertatio Jubilæa de Jure Principi indicendi concilia*.

§. XXXV. Alteram Partem Imperii circa Sacra constituit *Jurisdictio Ecclesiastica*, que potestatem ferendi leges immediate excipere debet, quia est Legum latarum executio, sive correxit & vindicatrix eorum, quæ in leges peccata sunt. Enimvero ne leges disolvantur, earumq; maiestas violetur, ne rideatur atque spernatur illarum sanctitas, custodiæ opus est & severitate, quam jurisdictio præstat, maleficos atque sacrilegos transgressores puniens, atque coercens. Hinc obligatur constitutore foræ Ecclesiastica, qui hodie consistoria dici conveverunt, suntq; tribunalia ad decidendas causas Ecclesiasticas constituta. Dividit *Becm. in Med. Polit. C. XVII.* §. 12. has causas [1] in merè spirituales, h. e. quæ religionem ejusq; cultum, constitutiones ministrorum &c. respiciunt, [2] in spirituales ratione consequentia, quæ disciplinam Ecclesiasticam vel controversias de bonis Ecclesiasticis concernunt, [3] mixtas partim ad forum Ecclesiasticum, partim seculare pertinentes: ut sunt cause matrimoniales &c.

§. XXXVI. Tandem accedit *Jus Advocatia* (qua vox ex primitia Ecclesia derivata est, ubi personæ seculares Ecclesiæ proventus administrantes Advocati dicebantur) quod constitut in iure administrandi Ecclesiæ bona, eamq; defendendi ab hostium invasione. Bonorum Ecclesiasticorum administratio ita est instituenda, ut ad nutritiōnē Clericos & conservationem cultus divini impendantur, neque etiam parçē administrentur, ut incentivum sint aliis munus Ecclesiasticum obituris. Posunt tamen in casu extremae necessitatis (ut ita dicam) seculares transferri, quum in se sint secularia & ratione tantum finis Ecclesiastica; id quod etiam exempla demonstrant, dum in Pace Monasterensi bona Ecclesiastica Archiepiscopatus Magdeburgensis & Bremensis fuere seculares. *Jus defendendi* in eo confitit, ut Princeps Ecclesiasticus contra omnem exterorū hostium vim protegat, & salvam tutamq; praefter. Prolixius de hoc & ceteris Juribus omnibus disserentes habes Zieglerum de *Jur. Majst. Lib. I. à Cap. XII. seqq. Henr. Henniges in toto tract. de Summa Imp. Potestate circa Sacra. Gerb. LL. Theol. Tom. VI. L. II. C. VI. S. III. Scherzeri, Quenstedti aliorumque System. in Loco de Magistr. Polit. Meissn. Philos. Sobriani. Pt. III. Sec. II. Cap. II. Q. I. seqq. Becm. Conf. Polit. C. XX. Med. & Parallel. Polit. C. XVII. Gratuum in tr. de Imper. Summ. Potest. circa Sacra, & Corring. in alleg. Dissert. &c. &c. Nobis brevitatibus nominasse tantum placuit. Hic iraq; pedem figimus, ardentibus DEUM suspiriis fatigantes, velit ille, qui summus ac verus Ecclesiæ suæ cruento filii sui sanguine acquisitus Advocatus est atque protector, Ecclesiæ nostram Pomeranicam ita regere ac defendere, ut illa in seros annos, sub divina gratia clypeo & felicissimo Gloriostissimi CAROLI XII. Invicti simi Suecorum Monarchæ regimine, ab omni hostium vi ruta & florida perennet. Fiat*

S. D. G.

Greifwald, Bise, 1702/05



3

TA → ÖL

mw 1 + 17 Stück verknüpft und
f

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Farbkarte #13

Green

Cyan

Blue

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches

144 J. N. J.
THEMA PHILOSOPHICUM
C. 3 num. 6.
1704, 5

De,

UREPRINCIPIIS CIRCA SACRA,

Quod,

Adspirante Divini Numinis Aurâ,

&

Permittente Amplissimo Philosophorum Ordine

In Alma Gryphica,

Sub PRÆSIDIO

Viri Præcellentissimi ac Præclarissimi,

J.M. AUGUST. STÆGEMANNI,

Fautoris ac Præceptoris sui debito honoris cultu
observandi,

Ad Diem Martii M DCC IV.

Sub publicum placidumque Philosophantium
Examen revocandum proponit

AUCTOR

CHRISTOPHORUS LEMMIUS,

Sundæ - Pomeranus.

GRYPHISWALDIAE,

Typis GEORG. HENR. ADOLPHI, Acad. Reg. Typogr.

